Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Pertinaciter in errore mori nec errore[m] agnoscere, in morte exultare, non semper signum certum iustam illos habere caussam

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

Visual Library

DA. Hoc uero non doctrinæ adſcribi debet, ſed his qui doctrinæ parum obſequuntur. Doctrina (ut tu quoq; concedis) ſana eſt, nec quidquam in illa deſyderatur: quid ergo eſt quod catabaptiſtæ docendo diuerſum aliud agant, quàm ut oſtendant pertinaciam ſuam, & philautiam quandam, qua fit, ut nihil eis placeat, quàm quod ipſi faciunt. Hoc ut ſine affectibus non fit, ita ſine morbo eſſe non poteſt. SIMON.

Nec tamen credis quàm ſint deuoti Deo, quàm ſeueri & graues, quàm ardeant in Deum. IOIADA. Hanc eorum deuotionem ſine uitio eſſe nõ crediderim, nam eccleſias ſimul ſeparant, dum nihil eſt neceſſe. Negare enim nõ potes, à nobis quoq; et deum ſumma cum fide doceri: & ſcelera ſumma cum libertate ac ſeueritate reprehendi. Quid ergo illi faciunt quod nos non idem faciamus, præterquam quod ſe ab alijs ſeparant & pertinaces ſunt? An non & Satan ſe in angelum lucis transformare nouit? Quid ergo mirandum ſi & impoſtores, paſtores ſe eſſe ſimulare norint? Qui piſcari uolunt, non nudum, ſed eſca piſcibus grata obductum hamum obijciunt. Recte Cato olim dixit, Fiſtula dulce canit, uolucres dũ decipit auceps. Neq; eſt tam ſtultus, ut rete ante oculos auium exponat. An non & Papa tot iam annis nos hypocriſi ſua tam ſpecioſa, & diuino quodam fuco ſeduxit? Sed exciderunt nobis hæc, qui noſipſos tam facile nouis iſtis

2. Cor. 11.

Prouerb. 1

impoſtoribus & hypocritis addicimus. Quibus artibus monachi tot opes corraſerunt? an non blandiloquentia, & ſpiritu hypocritico? an non uitæ ſanctimonia ſimulata?

Quod capti exultant, quod alacres & cum laude Dei mortẽ obeunt, id demum ita exaggeras, ac ſi hæc (etiã ſi fiant) doctrinã eorum uerã aut eorũ facta bona eſſe arguant ac probent. Hoc ſi euincas, conſequetur & furtum & latrocinium facta eſſe iuſta & bona, nam illi cruce & rota dum plectuntur, patienter ſæpe ferunt & inſuper deum benedicunt ac laudant. Quis tam inſanus, qui non intelligat ita colligi non poſſe: Hic torquetur, plectitur, & gratias agit, ergo iuſtus eſt & ſanctus. Quod ſi quis contendat hoc conſequi, hic dare cogitur, Iudæorum religionem ſanctiſſimam, imò hanc ſolam ueram eſſe, quum nemo pertinacius in mortem uſq; pro religione ſua perduret Iudæis. Quot putas fuiſſe hæreticos qui conſtantiſſime mortem obierunt, teſtantes ſanguine ſuo ſe uera docuiſſe? An non ſæpe latrones & proditores qui digna morte multantur, mordicus innocentiam ſuam uſq; ad ultimum ſpiritum tuentur & clamant? Num ergo pertinacis iſtius hominis & deſperatiſſimi cauſſa iuſtificata eſt coram Deo? Quis non intelligit hoc eſſe peiorem, quo à pœnitentia & confeßione magis abeſt?

SIMON. Ita eſt ut dicis, nec poſſum refragari. Sed